



IOANNIS HENRICI NEWMAN EPISTVLA

Ioannes Henricus Newman (1801-1890), S. R. E. Cardinalis, nuper in Sanctorum numerum adgregatus (Romae, in Basilica Vaticana, d. XIII, mens. Oct., a.D. MMXIX), in Britannia, magnorum virorum parente, virtute vixit, memoria vivit, haud defutura gloria vivet. In patriis litteris excolendis is facile princeps, etiam linguam Latinam in honore et usu habuit. Cuius e Vaticano Tabulario depromptum specimen his exhibetur: epistula ab eo ad Cardinalem Fransoni missa, qua argute venusteque Philippinum oratorium in urbe Birmingamia ortum depingit.

Eminentissimo Principi, Cardinali Fransonio,
ex Anglorum gente nuperi quidam Catholici S. P. D.

Cum tanta bonitatis tuae erga nos documenta, Princeps
Eminentissime, et praebueris et preebeas, speramus gratum tibi
fore, si breviter coram Eminentia tua nonnulla proposuerimus de
nobismet ipsis, et de statu Angliae nostrae, et de ea agendi ratione,
qua censemus nos plurimum posse in Catholica religione ibi
promovenda.

Quo in negotio id primum in mentionem venit, — nos Romam
petiisse, cum alias ob causars, tum ob hoc, quo possemus, adiuvante
magisterio augustissimae Urbis et sanctissimorum locorum
praesentia, invenire quae sit Dei voluntas erga nos et vocatio nostra.
Deinde notandum est, nos habere domi familiares quosdam et
contubernales, qui quaerunt quoque ipsi vocationem suam, decem
vel duodecim numero, plures autem evasuros, quando, quid de nobis
fiat, clarius viderint. Accedit denique, amplissimos viros, quorum
iudicium plurimum facimus, nos admonuisse, pro re Catholica in
Anglia nihil successurum melius, quam si disciplinam aliquam in nos
suscipieremus, quae similis esset regulae Philippinorum.

Quamobrem, cum tandem in Collegium Urbanum, tamquam in
portum, nos receperissemus, id sedulo agebamus, ut oculis undique
coniectis, quid et nobis et charissimae patriae optimum foret,
dijudicare possemus; et Patres quidem Iesuitas celsam quandam et
magnificam viam incedere videbamus, sed multa erant in causa, hic
omittenda, quare viam illam laudaremus tantum, non sequeremur. At
nostra indoles contra, et vitae praeteritiae consuetudo, et mens

interior, et maturissimae cogitationes nos avocant clarissimis indicis, a vita omni ex parte saeculari; neque tamen quicquam primo aspectu videbatur esse medium, quod nobis ipsis conveniret, inter illam Iesuitarum et nullam prorsus religionem amplectendam. **Qua** in difficultate, Regula Oratorii, paene saecularis, sed regula tamen, nobis videbatur, ut antea visum erat prudentioribus Anglis, optime quadrare necessitati nostrae; esse autem eius modi, quae si nostra fieret, gratiam Eminentiae tuae et Sacrae Congregationis nobis esset detractura.

Haec de nobis ipsis; nunc quod pertinet ad Angliam nostram dicendum est. Non fugit Eminentiam tuam, populosiores illic urbes, fabricarum operi deditas, penes quas tota fere Imperii nostri momenta aut sunt aut erunt, et sedes esse incredulitatis et spem Catholicorum.

Collegium habitamus vetus Oscottianum, Districtus Centralis gymnasium quondam et seminarium, quatuor mille passus distans ab urbe Birmingham, municipio populosissimo, nupera sua Catholicorum segete conspicuo, pleno autem omnigenae haereseos, iuventutis porro in artibus mechanicis versatissimae, perfidam autem vel plane nullam habentis religionem. Fuit illa urbs iam multos per annos sedes sodalitorum istorum, quae in iure naturae et societatis constitutae leges bellum gerunt; confraternitatum quoque, bonis literis prave cultis et physicae malesanae deditarum (Mechanicorum Instituta vocant), quas per viginta hos annos Anglus ille iuris consultus, Lord Brougham, late longeque in Anglia seminavit, quo doceat plebem scientias, dedoceat religionem. **Quibus** malis nos qualicumque modo consulentes, (si consenserint familiares nostri

domi, si Patres Oratorii siverint) S. Philippi regulam, in nos susceptam, in minutioribus fortasse pro Angliae statu suspensam aut temperatam, hoc potissimum modo exhibitam volumus.

Sit nobis domus aliqua in urbe, vel aula grandis, quae Oratorium sit. Ibi exercitium habeatur, iuxta Regulam S. Philippi, non singulis statim diebus, sed dominicis primo et quibusdam festis, vel commodioribus feriis. Auditores mares, tantum, ut par est; excludantur foeminae. Incipiatur a cantu; succedat lectio et disputatio, materiam versatura, theologicam et piam semper, sed subtiliorem vel eruditiorem, vel magis argumentivam, quam placuit Sanctissimo Patri in domo sua; eandem aliquando, scientificam scilicet aut literariam, quam tractant lectiones istae in Mechanicorum Institutis exhibita. Vel, quod S. Philippo arrideret magis, sit portio quaedam historiarum Ecclesiae recitata, vel ex Sanctorum vitis aliquid, vel ex alio opere eiusmodi; ea tamen lege, ut absolutum subsequatur quaedam disceptatio, in qua sophismata Protestantium modo disputatorio adducantur ab his, solvantur ab illis. Excipiat disputationem praedicatio, dialecticorum campum tandem egressa, et in affectibus libere expatiens; tum cantus, fortasse litaniae, quibus exercitio terminus imponetur. Decursu temporis, ex auditoribus, qui frugi sunt, formatur confraternitas quaedam, colligata secum bonis moribus, sacramentorum usu, institutis autem, tum piis tum festivioribus, quae eiusmodi confraternitatibus convenient. Utrum autem non Oratorium solum, sed Ecclesia etiam a nobis tenenda sit, aliorum iudicium erit. Caeterum, si in urbe Birmingham prospere succedatur, ad alias urbes progrediendum erit, quarum sex aut septem populosissimae

collegium nostrum circumdant; vel adeundum ad Londinium ipsum nobis ipsis praecipue chorū, ut natalem locum, centrum autem omnium, quotquot aut opinione traduntur aut actu fiunt in emporio nostro.

Iam vero in hujusmodi proposito hoc inest commodi, quod, cum variae sint familiarium nostrorum indoles et ingenia, amplissimus hic aperitur campus singulis exercitandis. Nam iis qui logica facultate pollut, datur disputatio; et facundioribus praedicatio et musicorum peritis cantus; et siqui amant pupillorum curam, confraternitas illa; siqui animarum, confessionum auditio. Ex quo fit probabilius, alios quoque, ex utrasque Universitate Angliae, quos ad Ecclesiam Catholicam identidem accessuros esse sperandum est, in hoc Instituto locum suum et vocationem esse inventuros.

Accedit quod doctiores quoque, qui vel ad studia vel ad libros edendos se conferunt, in sodalitio hujusmodi commode possunt versari. Quoniam enim Oratorii exercitia non pertinebunt nisi ad solemniores, dies, neque eos, qui Regulae Philippinae subiaceant, universos simul occupabunt, perspicuum est plurimum superfore temporis, quod et in legendo et in scribendo impendatur; unde Congregationis fratres, divino freti auxilio, bonam spem possunt fovere, se aliquid ad rem literariam et theologicam inter Catholicos suos esse conlaturos.

His autem expositis, illud solum praeterea, partim dictu molestum, partim auditu forte invercundius, Eminentiae tuae suggestum volumus: — in illo scilicet infelicissimo morbo, quo intima Catholicismi viscera hoc tempore in Anglia laborant, in tot, eheu! optimorum virorum factionibus, in tot adversis studiis, in tam

inveterata e invida nonnullorum inertia, in tanto denique metu et suspicione in qua proselytorum nomen a plurimis habetur, qui fieri poterit, ut nos, exigui homines, opera tam grandia suscipere valeamus, aut exequi, nisi erigamur patrocinio sanctissimae illius Arcis, ubi inermes et imbecilli, pro Christi nomine et Ecclesia dimicantes, galeam suam et clipeum nullo non tempore acceptam retulerunt. Eminus, cominus configendum est in coetibus haereticorum, inter iurgia fratrum; noscimus auxilium, in tempore opportuno a «Successore Piscatoris et Discipulo Crucis»; quam summopere suspicimus, quam unice reveremur et amamus; neque in id induci possumus, ut credamus, Cathedram Petri eos esse despecturam, qui Ipsius volunt esse ministri, illo animi ardore, illa fidelitate, etiamsi non illa futurorum spe aut laude virtutum, qua magnanimi olim viri, ex nostra Anglosaxonum stirpe oriundi, S. Wilfridus et S. Bonifatius, Angliam Sanctae Sedi recuperarunt, Germaniam addiderunt.

(d. XIV m. Febr. a. MDCCCXLVII).